



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illvstrivm Virorum Poemata

Cesarini, Virginio

Antverpiae, 1662

Ad Ioannem Rotgerum Torckivm ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-7990

*Quando dira lues, & frugum tristis egestas,
Auspice te, Latios pulsa reliquit agros.
Mox instaurato mens corpore firmior, altas
Imperij curas, & geret orbis onus.*

Interea dignam seruato ciue coronam

CHISIACIS Dryades texite de folijs.

*Alma Ceres, spicas; date laureaserta merenti,
Aonides: parta mox mea pace feret.*

A D

IOANNEM ROTGERVM
TORCKI VM

Præpositum Mindensem, & Canonicum
Paderbornensem ac Monasteriensem.
De Æneæ statuâ, LAURENTII BER-
NINI opere, in hortis Burghesijs ex-
tra portam Collinam.

TORCKI noster amor, doctarum prima Sororum
Gloria, spes patriæ magna decusq; tuæ,
Aspice BERNINI docto spirantia celo
Marmora, Phidiaco par opus ingenio.
Aspice Troiugenam curuâ ceruice ferentem
Et patrem, & profugos, sacra paterna, Deos.

K 2

Has

*Has pius Aeneas paruo comitatus Iulo
 Subtrahit incensæ reliquias patriæ.
 Quis dolor è muto ducit suspiria saxo?
 Qualis in inflexo vertice regnat amor!
 Ut lapis ipse sua presagus fata Creusæ
 Sentit, & impositum ferre laborat onus!
 Et trahit Ascanium flentem! comes ille paterne
 Non potis est equis passibus ire fugæ.
 Ut miserans captæ fumantia mœnia Troiæ
 Effigies tantis ingemit ægra malis!
 At ne BERNINVS vocem daret arte querelis,
 Obstitit infandus, qui premit ora, dolor.*

ALEXANDRO POLLINO
 donum natalitium.

Mentoreos alij donent, POLLINE, labores:
 Natali nostro pyxida munus habe.
 Forma pyrum simulat: circum violæq; colores,
 Albæq; purpureis mista ligustra rosis.
 Aspicias & varijs ut aranea floribus audax
 Incubat, & fatuus papilionis amor.
 Nec tamen inclusam potis est libare medullam,
 Et qui sub fuluo spirat odor calyce.

Namq;

*Namq̄, ibi odorifero sudantia balsama ligno,
 Dulces Aurora diuitis exuias,
 Et Cilicum messes, & quæ Titanius ales
 Cinnama, & extremus munera legit Arabs,
 Et nardi felicitas opes, & pinguis amomi,
 Composuit miro Pæonis ars studio.
 Sic operi contendit odor: cui præstat utrique,
 Qui natalitium dat tibi munus, amor.*

DE CORVO,

Bartoldi Nihusij discipulo mortuo.

Occidit heu Coruus Batauis celeberrimus oris,
 Bartoldi longo tempore discipulus.
*Nec domino veniente, ἤνευ νόεων & ἠνευ δὲ ὠόνων,
 Increpitat Graio garrulus eloquio.
 Vox filet, ac lepide cessant conuitia linguæ,
 Nulla quibus sese composuisset auis.
 Non Agrippinæ turdus, non sturnus amores
 Cesaris, humanos doctus uterq̄ sonos;
 Nec Coruus populi plausu gemituq̄ Latini
 Nobilis, & ducti funeris exequijs.
 At rumpare licet Clotho, quæ fila volucrum,
 Mæonidæ si fas credere, dura secas,*

*Carmine viuet adhuc, qualis Melioris alumnus
 Psittacus, & Teij fida columba senis.
 Qualis & exusto celebrata Ciconia nido
 In Batauis pullos morte secuta suos.
 Ut meruit, vos ergò rosâ Permesside Musæ
 Compositum molli condite funus humo:
 Et notum tumulo carmen superaddite: SI QVEM
 NON HODIE, CRAS, CRAS AVFERET ATRA
 DIES.*

ALEXANDRO VII.
 PONT. OPT. MAX.

Tertium Pontificatus annum feliciter
 auspicanti.

Læta dies redijt, qua te Rex ætheris alti,
 SANCTE PATER, magnum misit in imperium:
 Et terris dum pulsa lues, tibi tertius annus
 Illuxit faustis candidus auspicijs.
 Prima fames Latium, te principe, liquit, & Urbem
 Externis pavit frugibus alma Ceres.
 Iam nunc Adriacis classis tua iuncta carinis
 Hellepontiacæ claustra refringet aqua.
 Intereà sacras voti rea fundit ad aras
 Ingenuo tales pectore Roma preces: